



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quàm graüter puniatur à Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tem nulla scaturigo simul emittit dulcē & amaram aquam, nec ficus uvas producit, nec vitis ficus: lingua verò hominis mendaciloqui ex vno ore calidum & frigidum profert, id est, benedictionem & maledictionem, veritatem & mendacium &cæt. Est autem homo intemperantis linguæ, similis equo sine freno, & naui sine gubernaculo, eò quòd nō regitur nec domatur. Est quoque similis falsæ monetæ, quæ in superficie apparet esse bona, & sicut gratior ac preciosior est moneta bona, quàm falsa, ita homo verax præualet mendaci. Gerson maluit aliquem esse luxuriosum aut vinosum, quàm mendacem, eò quòd vitia cessarent in senectute: sed mendacium adhæret & sepulcrum ingreditur &c.

3. Tertio, pœna mendacij est perditio salutis. Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, & perdes illos qui loquuntur mendacium. & Prouerb. 12. Abominatio est Deo labia mēdacia, sicut hominibus est abominatio, si cui os vel anima scœteat, aut qui morbo aliquo affectus est: ita Deo abominabilis est mendax: est quoque mendacium venenum animæ lætifera, iuxta illud Sapient. 1. Os quod mentitur, occidit animam. Præterea Matth. 5. Christus beatificat pacificos, quòd filij Dei vocabuntur. Qui ergò per conficta sua mendacia seminant odia, iurgia & pugnam inter proximum, illi sunt filij diaboli. Est enim proprium mentientium, vt semper rem magis exaggerent, & aliquid addant ad concitandas aliorū mentes, sicut occiso vno filio Dauidis, fama peruenit ad ipsum, quòd Absalon percussisset omnes filios Dauidis, 2. Regum 13. sed **DEVS** vt plurimùm vlciscitur mendacium in ipso auctore, ita vt malum quod per mendacium alteri intendebat, in caput ipsius redundat: sicut contigit Haman, qui per mendacium impetrauit à rege, vt omnes Iudæi vno die occiderentur. Sed hoc malum consilium & mendacium ipsi
fuit

fuit pessimum, suspensus enim fuit &c. Hester 7. sed hoc vitium hodiè ita commune est, vt non reputetur amplius pro peccato. Osee 4. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum inundauerunt &c. Quia igitur Deo & hominibus facit abominabilem, maxime fugiendum est &c.

CAPVT XVIII.
ARGVMENTA.

1. *De peccato gula, quid sit.*
2. *Quomodo in principio mundi & maiores nostri fuerint abstinentes.*
3. *Quae mala sequantur ex gula.*



Rimò gula est inordinata & nō necessaria cupiditas potandi ac vorandi: & ex hoc vitio primum hominis peccatum est cōpletum, Genes. 3. vndè posteritas infinitis malis & ærumnis affecta est, & in perpetuum fuisset cum corpore & anima damnata, nisi promissum semen, quod est Christus, eam saluasset, Gal. 3. ideò Christus Lu. 21. prohibet gulam, inquit: Attendite ne grauētur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius mundi. & Apost. Rom. 13. Non in commensationibus, inquit &c. Olim apud gentiles fuit secta Epicureorum, quæ existimabat summam beatitudinem consistere in voluptate & crapula: Christus autem beatos censet qui lugent, Matth. 5. nam veniet quod Esaias dicit cap. 22. Vocabit Dominus ad fletum, planctum, & cilicium, &c. Sed ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & mactare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, dicentes: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur &c. huic autē peccato deseruiūt omnes athæi, qui nō credunt aliam vitā esse post hanc vitam, iuxta dictū illorum:

N N 5 Ede,